

Antiphona ad Communionem
Matth. 19, 28 et 29

Amen, dico vobis: quod vos, qui reliquistis omnia et secuti estis me, centuplum accipietis et vitam aeternam possidebitis.

Postcommunio

Percipitis, Domine, sacramentis: beato Paulo Apostolo tuo interveniente, deprecamur; ut, quae

pro illius celebrata sunt gloria, nobis proficiant ad medelam.

Et fit commemoratio S. Petri, sub unica conclusione:

Postcommunio

Lætificet nos, Domine, munus oblatum: ut, sicut in Apostolo tuo Petro te mirabilem predicamus; sic per illum tuae sumamus indulgentiae largitatem. Per Dominum.

FESTA IULII

Die 1 iulii

PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. IESU CHRISTI

I classis

Antiphona ad Introitum
Apoc. 5, 9-10

REDEMISTI nos, Domine, in Sanguine tuo, ex omni tribu et lingua et populo et natione: et fecisti nos Deo nostro regnum. **Ps. 88, 2** Misericordias Domini in aeternum cantabo: in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo. **V.** Gloria Patri.

Oratio

Omnipotens sempiternae Deus, qui unigenitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti, ac eius Sanguine placari voluisti: concede, quaesumus, salutis nostrae pretium (solenni cultu) ita venerari, atque a praesentis vitae malis eius virtute defendi in terris; ut fructu perpetuo laetemur in caelis. Per eundem Dominum.

¶ In Missis votivis omittantur verba solenni cultu.

Lectio Epistolae

beati Pauli Apostoli ad Hebraeos
Hebr. 9, 11-15

Fratres: Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis: neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersione inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam

nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi Testamenti mediator est: ut, morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt aeternae hereditatis, in Christo Iesu, Domino nostro.

Graduale **1 Ioann. 5, 6 et 7-8**

Hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Iesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. **V.** Tres sunt, qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua et sanguis: et hi tres unum sunt.

Alleluia, alleluia. **V. Ibid., 9** Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Alleluia.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Alleluia et versu sequenti, dicitur

Tractus **Ephes. 1, 6-8**

Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per Sanguinem eius. **V.** Remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae eius, quae superabundavit in nobis. **V. Rom. 3, 24-25** Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu. **V.** Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipsius.

Tempore autem paschali omittitur graduale, et eius loco dicitur:

Alleluia, alleluia. **V. Apoc. 5, 9** Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula eius: quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in Sanguine tuo. Alleluia. **V. Ex. 12, 13** Erit autem sanguis vobis in signum: et videbo sanguinem, et transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens. Alleluia.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Ioannem

Ioann. 19, 30-35

In illo tempore: Cum accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Iudaei ergo (quoniam Parascève erat), ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura et tollerentur. Venierunt ergo milites: et primi quidem freguerunt crura et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non freguerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit; et verum est testimonium eius. **Credo.**

Antiphona ad Offertorium

1 Cor. 10, 16

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?